

attribuentes hæc Arataeo illi philosopho inuentori, quæ tamẽ nulla ratione possunt coniungi. Nos ea concinnanda ac emendanda sic rati sumus, cum posuerimus apogæi Solis apparentẽ diametrum scrup. primorum xxxi. secundorum xl. oportet enim aliquo modo maiorem nunc esse, quàm ante Ptolemæũ, Lunæ uero plenæ uel nouæ, ac in summa abside scrup. primorũ xxx. umbræ quoq; diametrum in ipso illius transitu scrupu. primorum lxxx. & trium quintarũ conuenit enim paulò maiorem ipsis inesse rationem, quàm v. ad xiii. sed ut cl. ad cccc iii. Totum uero Solem apogæum non tegit à Luna, nisi ipsa habuerit distantiam à terra lxii. partium, quarum quæ ex centro terræ fuerit pars una. Hæc enim sic posita certa ratione cum inter se, tum in cæteris cohærere uidentur, & apparentibus Solis & Lunæ deliquijs consentanea. Habebimus siquidem iuxta præcedentem demonstrationem in partibus & scrupulis, quibus quæ ex centro terræ pars una, quæ est  $KE$ , ipsam  $LO$  taliũ scrup. primorum xvii. secundorum viii. & propterea  $MR$ , ut scrup. primorum xlvi. secundorum i. & idcirco  $OP$ , scrup. primorũ lvi. secundorum li. Et tota  $DLK$  part. m. c. lxxix. Solis apogæi à terra distantia, &  $KMS$  axis umbræ partium cclxv.

De magnitudine horum trium siderum, Solis, Lunæ, & Terræ, ac inuicem comparatione. Cap. xx.

**R**oinde etiam manifestum est, quòd  $KL$  est decies octies in  $KD$ , & in ea ratione est  $LO$  ad  $DC$ ; Decies octies autem  $LO$  efficit partes v. scrup. xxvii. ferè, quarum  $KE$  est una, siue quòd  $SK$  ad  $KE$ , hoc est cc. lxxv partes ad unã, est sicut totius  $SKD$  partes m. cccc. xlvi. ad ipsius  $DC$  partes similiter quinq; scrup. xxvii. proportionales enim sunt & ipsæ, hæc erit ratio diametrorum Solis & terræ. Quoniam uero globi in tripla sunt ratione suorum dimetientium, cum ergo triplicauerimus quintuplam cum scrup. xxvii. proueniunt partes clxii. minus octaua unius, quibus Sol maior est terrestri globo. Rursus quoniam Lunæ semidimetiens scrup. est primorum xvii. secundorum ix. quorum  $KE$  est pars una.

H ij Estq;